

AK 247 30

Herrmann

Zb
6412

V I R O
SVMME REVERENDO MAGNIFICO
A T Q V E
EXCELLENTISSIMO DOMINO
IOHANNI GOTTFRIDO
HERRMANNO

S. S. THEOL. DOCTORI MVLTIS MERITIS SAN-
CTISQVE ORNAMENTIS CELEBERRIMO PLAVIENSIVM
ADHVC SACRORVM EPHORO DIGNISSIMO

C V M

GRAVISSIMVM MVNVS SVMMI
ORATORIS ET SENATVS SACRI
CONSILIARII

IN AVLA POTENTISSIMI REGIS SARMATARVM
ET PR. ELECTORIS SAXONIAE

MENSE IVNIO CIOIO CCXLVI AVSPICARETVR


EX ANIMO GRATVLATVR

EIQVE DIVINAE PROVIDENTIAE DOCUMENTA
QVAE IPSE EXPERTVS EST
IN MENTEM REVOCAT

M. HENRICVS AVGVSTVS SCHVMACHERVS
ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR

L I P S I A E

EXCVDEBAT IOHANN. GOTTLIB IMMANVEL BRILLKOPF



V. R. O.
EXCELLENTISSIMO DOMINO
JOHANNI GOTTFRIDO
HERRMANNO

PHYSICIS ET MATHEMATICIS
ARTIBUS DOCTORI
ET ASTRONOMICIS OBSERVATORII
DIRECTORI

GRAVISSIMUM MUNUS SUMMI
MATHEMATICI ET PHYSICI
CONSILIARII

FRANCISCAE AUSTRIACAE
CAESARIS REGIS SARMATARUM
SACRAE ASTRONOMICAE
OBSERVATORII DIRECTORI

EX MUNIFICENTIA
SACRAE ASTRONOMICAE
OBSERVATORII

ALPHABETI ARITHMETICIS
SOLUTIO

1714
LIPSIAE
IN AEDIBUS
FRANCISCAE AUSTRIACAE
CAESARIS REGIS SARMATARUM
SACRAE ASTRONOMICAE
OBSERVATORII





V I R

MAGNIFICE, SVMME REVERENDE,
AMPLISSIME, ATQVE EXCELLENTISSIME,
PATRONE SVMMOPERE
COLENDE,



Quoties singularem et praecipuam summi Numinis curam ac providentiam, qua viros sanctiori coetui destinatos, rerumque sacrarum antistites, omni tempore complexus est, mecum perpendo, toties in mentem mihi veniunt verba, memoratu dignissima, quae *David*es, spiritu divino afflatus Psaltes protulit, canendo: *Cognoscite, quam mirabilem, vel, quam praestantem, faciat sanctum suum Deus, rerum humanarum arbiter maximus.* Per sanctum Dei *יהוה*, auctorem carminum, sacrorum intelligere virum, quem Deus multis gratiae divinae donis ita auxit, ut, his bene instructus, et imbutus, alios quoque, qui eum vel audiunt, vel cum eo, versantur, illius gratiae coelestis, ope et virtute spiritus sancti, participes reddere valeat. Verqum *יהוה*, quo usus est *David*es, magni omnino est momenti, de quo interpretes multa observant, quorum sententias si adducere vellem omnes, prout facere solent, qui prolixi esse cupiunt, haec pagina non sufficeret. Sententiam meam vel tribus verbis de eo Tibi aperio: auctoris hanc esse puto mentem: Deum excellenti quodam signo *sanctum, sibi que commendatum, virum* ab aliis segregare, eumque ad summos honores, in sui nominis gloriam evehere. In eiusmodi Virum, dono

dono Dei ac munere terrarum orbi commodatum, intueri omnes jubet *David*, felicissimus ille Psalter, ut id, quod multis incredibile, et rationis captum superare, visum est, in hoc ipso cognoscant, et admiranda divinae providentiae documenta, quibus Deus, in eiusmodi Viro conservando, ornando, et amplificando, usus est, intelligant, aliisque, ad imitandum, proponant. Quam curam admiratione dignam, non in *Davide* , Viro, secundum animum suum, solum declaravit Deus immortalis, prout ipse praedicat, sed in aliis etiam Viris, singulari plane ratione instructis, et, mirabili modo, ad summos honores, in nominis sui laudem, et aliorum hominum salutem, evectis, demonstravit, quos hoc loco omnes ac singulos recensere, neque tempus, neque spatium, permittunt. Quis non mirabitur eximiam Dei curam, qua *Moyses* , Prophetarum antesignanum, a parentibus derelictum, et aquis expositum, conservavit? Hic a filia Pharaonis, divino nutu nutritus, et cum ex ephebis excessisset, disciplinis artibusque Aegyptiorum tam egregie imbutus est, ut populo bene, praeesse, eius dux et praeses esse potuerit. Vitas vatium sacrorum, peculiari modo, spiritus sancti donis, afflatorum, qui excutit, is varia, et mirabilia divinae providentiae signa in omnibus deprehendet, quae omnino, una cum donis, a Deo his ipsis tributis, admirabitur. Quid dicendum de *Christi* , Servatoris optimi, discipulis, iisque, quos *Apostolos* appellare solemus? Hos linguarum et scientiarum imperitos, pro divina sua potentia, per Spiritum S. ita instruxit, et praestantes reddidit, ut licet a multis imprudentibus hominibus contemti, et pro ludibrio habiti fuerint; Deo tamen duce, et auctore, omnes infidias, sibi structas evitarint, et ad verbum divinum, rite docendum, tantis ornamentis ornat, apti idoneique sint habiti. Superioribus etiam temporibus paria divinae providentiae documenta experti sumus in praestantissimis coetus sacri doctoribus, in *Lutheris, Chemnitiiis, Welleris, Ofsandris, Myliis, Dorschaeis, Kesleris, Schmidtiis* , et aliis Viris, ad gloriam Dei natis, et factis. Quibus nihil nocuit, quod parentibus, obscuro loco natis, prognati sint. Multo maiore digni fuerunt admiratione, quo illustriore supremi Numinis gratia ab aliis segregati, et ad munera amplissima, in coetu sanctiore administranda, reservati sunt.

Quodsi igitur admiranda Dei signa in omnibus sanctis, qui, auspicio divino, inusitato et mirabili modo, in ordine sacro, ad summos prae aliis honores evehuntur, perpendere iubet Psalter ille sacer: quis me reprehendet? aut quis mihi jure succensebit? si multa, eaque egregia, divinae providentiae documenta, quae

Dei



Dei immortalis nutu in Te, VIR SVMME REVERENDE, a prima inde aetate, perspicere licuit, animo mecum confiderans alius pariter exposuero, qui Te in pretio habent, et dona, divinitus Tibi concessa, una cum felicitate Tua incredibili praedicant. Saepius, quod fateor, imago Tua, ab illo tempore, quo ex schola illustri Grimenfi summa cum laude, et pio meo voto, in academiā migrasti, ob oculos mihi versata est, cuius tanto minus potui oblivisci, quanto maiora et evidentiōra providentiae divinae monumenta, et praesens, quoad mea, per sex annos, usus es institutione, et absens, ex amicorum commemoratione, et ex Tuis literis, ad me datis, cognovi.

Cum primum anno CIOIOCCXXII Grimam tanquam ad mercaturam bonarum artium accederes, et in conspectu venerandi, et insigni linguarum, et rerum optimarum scientia instructi, Parentis tui, *M. Gottfridi Herrmanni*, sacerdotis de Palaeo-Iesnicensium sacris optime adhuc merentis, more consueto, specimen publice ederes, singulares statim et eximias animi Tui dotes, a Deo acceptas, intellexi. Felicitatem ingenii Tui, bonam mentis indolem, et animi cultum, fideli, parentis doctissimi, institutione jam domi acquisitum, nemo non in Te laudabat. In numerum alumnorum, consentientibus omnibus Praeceptoribus, receptus, indicia probi, modesti, et diligentis discipuli in Te perspecta sunt, quae sapientissimus ille morum doctor *Socrates*, in adolescentibus, literarum, et sapientiae studiis consecratis, jam olim requisivit: * *ut nempe hi in scholis celeriter discerent ea, quibus animos semel adjecerunt, et quae didicissent, memoria retinerent, illasque praecipue disciplinas et artes memoriae imprimerent, quibus domus, et civitas, praeclare aliquando gubernari possent. Ejusmodi adolescentes, opinabatur, non se ipsos, sed alios etiam homines, et civitates beatas reddere posse.* Hoc modo in literis et linguis, quarum semper cupidissimus fuisti in schola addiscendis, non opus fuit unquam sponte Tibi currenti calcaria, quibus ignavi homines ne concitari quidem possunt, addere. Inter aequales quod vere affirmare possum, omni fere tempore praestitisti, optimos inter condiscipulos Tuos aequasti, et nonnullos assidua et constanti diligentia longe multumque superasti. Ab his initiis ad majora in dies studiorum incrementa contendendo, non levi-

Xenoph. Libr. IV. Memorab. Socrat. ab init.

* Σωκράτης ἐπιμαίετο, τὰς ἀγαθὰς φύσεις ἐν τῷ ταχίῳ μαθῆναι, αἷς προσέχον, καὶ μνημονεῖν αὐτὰν μάθων, καὶ ἐπιθυμῆν τῶν μαθημάτων πάντων, ἃ ἂν ἴσῃ οὐκίαν τε καλῶς οἰεῖν, καὶ πόλιν, καὶ τὸ ἔθνος ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώπων πρῶτα μασιν ἐν χερσίν. Τὸς γὰρ τοιούτους ἠγεῖτο παιδευθέντας ἐν αὐτῶν ἄλλοις τε εὐδαίμονας εἶναι, καὶ ἑαυτῶν οἶκον καλῶς αἰκεῖν, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις ἀνθρώποις, καὶ πόλεις, δυνάμει εὐδαίμονας ποιεῖν.

ter incitatus, sed cupiditate discendi ita inflammatus fuisti, ut, quantum alii vel nugis, vel ludis, vel aliis rebus inanibus, tribuerunt temporis, id Tibi ad literarum studia excolenda, animumque rebus optimis, et ad futurum usum necessariis ornandum, et ad audita, memoriae firmiter imprimenda, sumfisti. Qua continua diligentia, et discendi ardore, brevi tempore eam nactus es literarum scientiam, ut in omnibus scholae Classibus, siue ordinibus, laude digna ingenii monumenta, et specimina, exhiberes, quae adhuc apud nos reservata cuilibet ob oculos ponere possumus. Sic Te gerendo, omnes difficultates, quae in scholis provincialibus latitantibus quandoque obveniunt adolescentibus, literarum suavitate captus, pertulisti, et penitus vicisti. Tam praeclara, tamque egregia, ingenii bonitate Deus Te in hac schola in primis ornandum, et discendi cupiditate inflammandum curavit, ut, fundamentis virtutum, linguarum necessariorum, et optimarum scientiarum, rite positis, maiore cum fructu altiora in academia Lipsiensi studia prosequi, et multo facilius ad metam, divinitus Tibi praefixam, contendere posses. Lipsiam, urbem inter Germanicas facile elegantissimam, et literis commercisque florentissimam, absolutis stipendiis scholasticis, Deo duce, et fausta Praeceptorum Tuorum acclamatione, comite, ingressus, amplissimos fortunae Tuae, et salutis, promotores, ob morum elegantiam, probitatem, humanitatem, et doctrinam, qua praeditus eras, nutu divino, invenisti. Saepe adhuc recordor, recordor autem non sine animi iucunditate, singularis illius gratiae, qua Perillustris ac Excellentissimus Dominus, GOTTLOB HIERONYMVS A LEIPZIGER, potentissimi Poloniarum Regis et Pr. Electoris Saxoniae quondam Consiliarius sanctior, et summi Senatus sacri Praeses, Te prae aliis dignum iudicavit. Cum enim maximus hic Musarum Maecenas scholam illustrem Grimensem, anno MDCCCXXVII, d. XXVI Maii, praesentia sua, longe desideratissima, cohonestaret, non minus docendi rationem, qua doctores utuntur, et diligentiam ac perfectus alumnorum, et omnem scholae statum, exploraret, Te in primis, VIR MAGNIFICE, Deo ita dirigente, in deliciis habuit, cum alloquio, Latinis verbis concepto, summum hunc Patronum exciperes, et scholae fortunam, una cum alumnorum salute, eius patrocinio commendares. In primis delectabatur hic Maecenas maximus eleganti Tuo carmine Germanico, quod nomine alumnorum, ut Ordinum antesignanus, inter suaves Conventus Musicos, offerebas. Ab illo tempore Te ex aliis omnibus amatum in numerum Clientum suorum referebat Perillustris hic Praeses, mihi que, pro innata sua benignitate, in mandatis dabat, ut

Tuum



Tuum ex schola illustri discessum literis sibi significarem. Tua enim virtute captus hic Maecenas optimus beneficio, ex praefectura Misenensi quod redit, studia Tua academica sublevare constituerat. Quod beneficium Tibi etiam, vix speranti, eodem tempore, quo in academiam commigrasti, obtigit, postquam ego summum hunc patronum de probata vitae studiorumque Tuorum ratione, et laudabili specimine, sub discessum ex schola illustri abs Te publice habito, certiozem fecissem. Hunc salutis et fortunae promotorem Deus pro sua in Te cura, excitavit, cui complures in illa academia adiunxit, qui Te iuvenem bona indole, virtute, et eruditione florentem vel Viris celeberrimis commendarunt, vel secum, intra parietes suos retinere praeoptarunt. Excellentissimus *Hausenius* hospitio, multisque beneficiis, celeberrimus *Menzius* inusitata benevolentia, et consuetudine, illustri *Majcovius*, academiae et civitatis Lipsiensis decus, patrocinio Te dignum, judicarunt. Amplissimus Dominus *Wagnerus*, Senatus sacri Lipsiensis director, in aedes et convictum Te recepit, cuius colloquiis, consiliis, multisque beneficiis per biennium, non sine egregio rerum Tuarum emolumento, fruius es. Quae felicitas cum, Deo ita moderante, ex munificentia regia, et patronorum benignitate, Tibi obtigit, optata occasio, studia academica, sine impedimento, excolendi suppeditata est. Et cum multi existimarent, Te his studiis academicis probe innutritum, aliquando in academia etiam professoris partes impetraturum esse, in aliam academiam Te deducendum voluit summus rerum humanarum Arbiter, Tibique Ordini sacro destinato, et minus opinanti, Diaconi munus in coetu sanctiore *Ranisenisium* commisit. Quo munere sacro, biennio vix peracto, Te rite defunctum *Pegavia* ad sacra, in coetu sanctiore, peragenda, et administranda evocavit, quod munus, quia rebus studiisque Tuis magis convenire, existimabas, divinae voluntati, ita ducenti, minime repugnando, suscepisti. Sed ne *Pegavia* quidem Te diu tenere potuit, quamvis aegre admodum dimiserit. Exteri, et praesertim *Amstelodamenses*, omnibus Te votis expetiverunt, ut in coetu puriore Germanico Pastoris locum obtineres, qui multis praemiis et pollicitationibus, cum verba apud eos, pro rostris sacris, communi omnium applausu fecisses, commoverunt, ut hanc provinciam, satis amplam, capefferes. At enim vero Deo immortalis, supremo rerum humanarum Statori, longe aliter visum fuit. Teque *Saxonem*, *Saxonum* sacris, et primo quidem apud *Plavienfes*, nunc etiam in totius *Saxoniae* capite, *Dresenae*, in altiore divini coetus specula, auspicio potentissimi Regis Pol. et Pr. El.

Saxo-


ZB 6412 OK

X 366 M32

An. 1738. de
Summa Eccle-
siae verae di-
gnitate, ex
1 Tim. 3, 15.

VD-18

Saxoniae, patris patriae indulgentissimi, et unanimi summorum procerum consensu auspicato praeesse voluit. Ita factum est su-
premi Numinis arbitrio ac consilio, ut vox Tua non in una patri-
ae urbe, sed per totam Saxoniam, audiretur. Praelustri, quod
omnes intelligunt, praeter opinionem summae Tuae dignitati,
in dedicatione disputationis Tuae, quam non sine laude, in aca-
demia Vitembergensi, pro Licentia, supremos in S. Theologia
honores capessendi, publice habuisti, cum beate defunctum ante-
cessorem Tuum D. BERNHARDVM WALTHERVM MARPERGE-
RVM animi constantia, et dicendi facultate *Chrysostrum* refe-
rentem, verae Ecclesiae *columen* appellasti. Ecce VIR MAGNIFI-
CE, ipse Deus, pro sua voluntate et providentia, Te non speran-
tem, nec opinantem coetus purioris in Saxonia *columen* constituit.
Nunc *Dresena*, tristi antea casu conturbata, laetitiae sensu excitata,
optimo jure plaudit, et HERRMANNVM, novum *Ducem gregis sacri*,
multis et egregiis ornamentis praestantissimum, laetis acclamatio-
nibus excipit, certamque sibi spem concipit, fore, ut denuo GEIE-
RVS, aut MARPERGERVS sibi in hoc ipso reddatur. Gratulor pro-
inde ex animo splendidissimae aulae Saxonicae et civitatis amplif-
simae, de tanto, et tam egregio, Dei dono ac munere dato, sacro-
rum inter Saxones antistite, et sacri senatus Consiliario. Gratulor
pariter Gymnasio Grimeni, quod Te aluit, nutrit, et educavit,
et aulae regiae, in totius patriae ornamentum, tradidit. Gratulor
praeterea mihi, qui, ut Te ipsum, ita complures juvenes, in spem
et salutem patriae, per septem et triginta annos, omni fide et in-
tegritate, vera pietate, bonis artibus, linguis, ac scientiis, instru-
endos et augendos, in molesto scholae pulvere, laboravi. Gratulo-
lor inprimis Tibi, VIR SUMME REVERENDE, de hac amplissima
sacri ordinis in Saxonia dignitate. DEVM insuper praepotentem
diurnis nocturnisque precibus imploro, ut novos maximosque
honores Tuos fortunet, et his difficillimis, et maxime pertur-
batis, temporibus Te puriori coetui, et praecipue Musarum do-
miciliis, in patria erectis, et huic Gymnasio, quod Grimae, pro-
pter Moldam, constitutum, Tibique animo infixum haeret, sal-
vum incolumemque una cum *Coniuge dilectissima, omnibusque Tuis*,
per longam annorum seriem, conlervet, omniaque ex animi Tui
sententia fluere sinat, quaeque Tibi, et rebus Tuis, nocere pos-
sunt, clementer avertat, ut omnis coetus sanctior in Saxonia in
Te praesidium, omnes boni literarum cultores patrocinium, et
ego praecipue, una cum meis omnibus, perjugium ac
solatium, in senectute, habeam.



M.C.

QR 247 30

Herrmann

Zb
6412

V I R O

SVMME REVERENDO MAGNIFICO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

IOHANNI GOTTFRIDO
HERRMANNO

S. S. THEOL. DOCTORI MVLTIS MERITIS SAN-
CTISQVE ORNAMENTIS CELEBERRIMO PLAVIENSIVM
ADHVC SACRORVM EPHORO DIGNISSIMO

C V M

GR

SVMMI
SACRI

IN A

RMATARVM
E
ETVR

E I

CVMENTA

M. H

ACHERS
R

